

Scientiæ morsus sentient & videbunt, quomodo eosdem  
sedent, & mentem suam ipsi tranquillam reddant.

SECTIONIS II.

CAPVT II.

D E

ANTITHESI THESI VERAE  
OPPOSITA.

§. I.

**H**ic notandi sunt varii. Alii enim rem totam destru-  
entes, dum iuramentum omne in Libros Symbolicos  
oppugnant, generatim & quasi indirecte nobis contradi-  
cunt. Alii vero speciatim magisque directe id facientes,  
concedunt quidem Iuramentum, sed negant illud cate-  
gorice præstandum. In illorum numero sunt: (a) AR-  
MINIANI. Hi enim in Apologia Confessionis suæ p. 6.  
acriter perstringunt Calvinistas, & cum illis alios, quod  
formulam aliquam confessionis de fide non solum rece-  
perint, verum etiam in illam jurare non vereantur. *Non  
tantum, inquit, receperunt formulam Dordracenam, eam-  
que approbant, sed solemni insuper iuramento ei se obstrinxe-  
runt, aliasque omnes in posterum obstrictos voluerunt, se vi-  
delicet in ea non tantum constanter firmiterque, sed, ut con-  
stantie apex exprimeretur, ad extremum usque vitæ halitum  
perstituros. Poteratne altius evebere aut sublimius attollere  
humanam formulam Satanas? Et hoc fecerunt nullo progres-  
so Examine, inauditis partibus. Poteratne gravius excaca-  
re, atque indurare tam immemores, tam inconcinnos Refor-  
matores*